

dium praecedit, eam praeparationem adhibebit, ut ardentem Deum oret, omnis sapientiae omniumque sanctorum virtutum auctorem, qui et sibi, et aliis qui audituri sunt largiatur, unde divinus cultus, et salus animarum adiuvetur.

XIII. Haec S. Caroli monita rationem et finem huius *Homiliarij* exhibent. Christianam enim Cleri pietatem, sacram et patristicam eruditionem promovere, facilioremque praecipuorum Patrum lectionem et imitationem concionatoribus et Sacrae Eloquentiae alumnis reddere volumus.

XIV. Ut autem efficacius verbum Dei populis annuntient sacri concionatores, vitam, studium, mores, praedicationem componere non omittant iuxta documenta hucusque deducta; et ad maiorem eorum populorumque utilitatem sequentia etiam pro norma habeant:

a) Oportet praedicatorum Dei prudentem esse atque sollicitum, ut sciat quem, ad quos, quando et qualiter debeat proferre sermonem, ne per imprudenciam aut tacenda proferat, aut per ignaviam silentio proferenda tegat (IOANN. TRITHEM.).

b) Rudibus populis, seu carnalibus plana atque communia, non summa atque ardua praedicanda sunt; ne immensitate doctrinae opprimantur potius, quam erudiantur (S. ISID. HISPAL.).

c) Oportet ut praedicatores sint fortes in praeceptis, compatientes in infirmitatibus, in minis terribiles, in exhortationibus blandi, in ostendendo magisterio humiles, in tolerandis adversitatibus rigidi. Non cuncta tempora doctrinae sunt congrua; nam plerumque doctorum virtus perditur, si intempestive proferatur, saepe vero et quod lenius dicitur, conventu temporis congruentis animatur (S. GREG. MAGN.).

d) Duabus ex causis inefficacem spiritualium rerum constat esse doctrinam: aut ille qui docet inexperta commenta vano verborum sono instruere nititur auditorem; aut certe, nequam ac vitiosus refertus, auditor salutarem spiritualis viri sanctamque doctrinam oburato corde non recipit. Qui doctrinae gratiam ad utilitatem aliorum accipit, nec utitur ea, gratiam quoque omnino perdit; qui autem studiose ac sedulo utitur, maiorem gratiam impetrabit (S. IOANN. CHRYSOST.).

e) Praedicator, qui subtilitatibus vacat, et sibi et aliis, qui eum audiunt, lumen veritatis aufert. Furatur, subtilitates fingendo; mactat seipsum, studendo; perdit auditores, decipiendo (HUGO CARD.).

f) Praedicator debet habere aurum, argentum, et balsamum; videlicet sapientiam et eloquentiam, et honestatem; ut quod dicat, intelligat, et quod dixerit et intellexerit, agat (INNOC. III.).

g) Doctrina quanto amplius data fuerit, tanto magis abundat; sapientia dando largior fit, retinendo minorabitur. Largiendo redundantior est sapientia, et dum plus confertur, plus abundat. Cum doces, cum erudis, cum instruis, noli verborum obscuritate uti; ita dic, ut intelligaris; nec simplicibus displiceas, nec prudentes offendas (S. ISIDOR. HISPAL.).

h) Miser et aetumnose, ac proditor, flosculos verborum et compositionem et harmoniam curiosius sectaris, ut canas, non ut prosis; ut sis in admiratione, non ut doceas; ut oblectes, non ut compungas; ut plausu et laudibus obtentis abeas, non ut mores componas (S. IOANN. CHRYSOST.).

i) Si hodie nemini persuaseris, persuadebis postridie; et si nunquam persuaseris, mercedem tamen praedicationis tuae integram habebis. Etsi non omnibus, paucis tamen ex multis persuadere poteris. Si centum nequis, decem curam suscipias; si decem non possis, noli quinque despiciere; si quinque vires tuas excedant, unum ne contempnas. Quod si ne hoc quidem possis, noli desperare, noli labori cedere (Id.).

Romae, in festo Annuntiationis Beatae Mariae Virginis, 25 Martii 1903.

TEMPORE ADVENTUS

DOMINICA I. ADVENTUS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

Luc. XXI, 29-33.

In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis:

29. Et erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris, et fluctuum:

30. arescentibus hominibus prae timore, et expectatione, quae supervenient universo orbi. Nam virtutes caelorum movebuntur:

31. et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et maiestate.

32. His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.

33. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, et omnes arbores:

34. cum producant iam ex se fructum, scitis quoniam prope est aestas.

35. Ita et vos cum videritis haec fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.

36. Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant.

37. Coelum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt.

Homilia S. Gregorii Papae.

HOMILIA I. IN EVANGELIO. Habita ad populum in basilica sancti Petri Apostoli, Dominica secunda Adventus Domini.

DOMINUS ac Redemptor noster, fratres charissimi, paratos nos invenire desiderans, senescentem mundum quae mala sequantur denuntiat, ut nos ab eius amore pescapat. Appropinquantem eius terminum quan-

tae percussiones praevenerint innotescit, ut si Deum metuere in tranquillitate non volumus, vicinum eius iudicium vel percussionibus attriti timeamus. Huic etenim lectioni sancti Evangelii, quam modo vestra fraternitas audivit, paulo superius Dominus praemisit, dicens: *Exsurgat gens contra gentem, et regnum adversus regnum; et erunt terrae motus magni per loca, et pestilentiae, et fames* (LUC. XXI, 10). Et quibusdam interpositis, hoc quod modo audistis adiunxit: *Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium, prae confusione sonitus maris et fluctuum*. Ex quibus profecto omnibus alia iam facta cernimus, alia et proximo ventura formidamus. Nam gentem super gentem exsurgere, earumque pressuram terris insistere, plus iam in nostris temporibus cernimus quam in Codicibus legimus. Quod terrae motus urbes innumeras subruat, ex aliis mundi partibus scitis quam frequenter audivimus. Pestilentias sine cessatione patimur. Signa vero in sole, et luna, et stellis, adhuc aperte minime videmus, sed quia et haec non longe sint, ex ipsa iam aeris immutatione colligimus. Quamvis priusquam Italia gentili gladio ferienda traderetur,

igneas in coelo acies vidimus, ipsum qui postea humani generis fusus est sanguinem coruscantem. Confusio autem maris et fluctum necdum nova exorta est. Sed cum multa praenuntiata iam completa sint, dubium non est quin sequantur etiam pauca quae restant, quia sequentium rerum certitudo est praeteritarum exhibitio.

² Haec nos, fratres charissimi, idcirco dicimus, ut ad cautelae studium vestrae mentes evigilent, ne securitate torpeant, ne ignorantia languescant, sed semper eas et timor sollicitet, et in bono opere sollicitudo confirmet, pensantes hoc quod Redemptoris nostri voce subiungitur: *Arescentibus hominibus prae timore et expectatione quae supervenient universo orbi. Nam virtutes coelorum movebuntur.* Quid etenim Dominus virtutes coelorum nisi angelos, archangelos, thronos, dominationes, principatus et potestates appellat, quae in adventu districti iudicis nostris tunc oculis visibiliter apparebunt, ut districte tunc a nobis exigant hoc, quod nos modo invisibilis conditor aequanimiter portat? Ubi et subditur: *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna et maiestate.* Ac si aperte diceretur: In potestate et maiestate visuri sunt quem in humilitate positum audire noluerunt, ut virtutem eius tanto tunc districtius sentiant, quanto nunc cervicem cordis ad eius patientiam non inclinant.

³ Sed quia haec contra reprobos dicta sunt, mox ad electorum consolationem verba vertuntur. Nam et subditur: *His autem fieri incipientibus, respicite et levate vos capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Ac si aperte Veritas electos suos admoneat, dicens: Cum plagae mundi crebrescent, cum terror iudicii virtutibus commotis ostenditur, levate capita, id est exhilarate corda, quia

dum finitur mundus, cui amici non estis, prope fit redemptio quam quaesistis. In Scriptura etenim sacra saepe caput pro mente ponitur, quia sicut capite reguntur membra, ita et cogitationes mente disponuntur. Levare itaque capita est mentes nostras ad gaudia patriae coelestis erigere. Qui ergo Deum diligunt ex mundi fine gaudere atque hilarescere iubentur, quia videlicet eum quem amant mox inveniunt, dum transit is quem non amaverunt. Absit enim ut fidelis quisque qui Deum videre desiderat de mundi percussioibus lugeat, quem finiri eisdem suis percussioibus non ignorat. Scriptum namque est: *Quicumque voluerit amicus esse saeculi huius, inimicus Dei constituitur* (IAC. IV, 4). Qui ergo appropinquante mundi fine non gaudet, amicum se illius esse testatur, atque per hoc inimicus Dei esse convincitur. Sed absit hoc a fidelium cordibus, absit ab his qui et esse aliam vitam per fidem credunt, et eam per operationem diligunt. Ex mundi enim destructione lugere eorum est qui radices cordis in eius amore plantaverunt, qui sequentem vitam non quaerunt, qui illam neque esse suspicantur. Nos autem qui coelestis patriae gaudia aeterna cognovimus, festinare ad ea quantocius debemus. Optandum nobis est citius pergere, atque ad illam breviora via pervenire. Quibus enim malis mundus non urgetur? Quae nos tristitia, quae adversitas non angustat? Quid est vita mortalitatis, nisi via? Et quale sit, fratres mei, pendite, in labore viae lassescere, et tamen eandem viam nolle finiri. Quod autem caleari mundus ac despici debeat, Redemptor noster provida comparatione manifestat, cum protinus adiungit: *Videte ficulneam et omnes arbores, cum producunt iam ex se fructum, scitis quia prope est aestas. Ita et vos cum videritis haec*

fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei. Ac si aperte dicat: Quia sicut ex fructu arborum vicina aestas cognoscitur, ita ex ruina mundi prope esse agnoscitur regnum Dei. Quibus profecto verbis ostenditur quia fructus mundi ruina est. Ad hoc enim crescit, ut cadat. Ad hoc germinat, ut quaecumque germinaverit, cladibus consumat. Bene autem regnum Dei aestati comparatur, quia tunc moeroris nostri nubila transeunt, et vitae dies aeterni solis claritate fulgescunt.

⁴ Quae omnia sub magna certitudine confirmantur, cum sententia subiungitur qua dicitur: *Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant. Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Nihil enim in rerum corporalium natura coelo et terra durabilius, et nihil in rerum natura tam velociter quam sermo transit. Verba enim quousque imperfecta sunt, verba non sunt; cum vero perfecta fuerint, omnino iam non sunt, quia nec perfici nisi fraseundo possunt. Ait ergo: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Ac si aperte dicat: Omne quod apud vos durabile est, sine immutatione durabile ad aeternitatem non est; et omne quod apud me transire cernitur, fixum et sine transitu tenetur, quia sine mutabilitate manentes sententias exprimit meus sermo qui transit.

⁵ Ecce, fratres mei, iam cernimus quod audiebamus. Novis quotidie et crebrescentibus malis mundus urgetur. Ex illa plebe innumera quanti remanseritis aspicitis; et tamen adhuc quotidie flagella urgent, repentini casus opprimunt, novae nos et improvisae clades affligunt. Sicut enim in iuventute viget corpus, forte et incolume manet pectus, torosa cervix, plena sunt bronchia; in annis autem senilibus statura curvatur, cer-

vix exsiccata deponitur, frequentibus suspiriis pectus urgetur, virtus deficit, loquentis verba anhelitus interdicat; nam etsi languor desit, plerumque sensibus ipsa sua salus aegritudo est: ita mundus in annis prioribus velut in iuventute viguit, ad propagandam humani generis prolem robustus fuit, salute corporum viridis, opulencia rerum pinguis; at nunc ipsa sua senectute deprimitur, et quasi ad vicinam mortem molestiis crescentibus urgetur. Nolite ergo, fratres mei, diligere quem videtis diu stare non posse. Praecepta apostolica in animo ponite, quibus nos admonet, dicens: *Notite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt, quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo* (I IOANN. II, 15). Nudius tertius, fratres, agnovistis quod subito turbine annosa arbusta eruta, destructae domus, atque Ecclesiae a fundamentis eversae sunt. Quanti ad vesperum sani atque incolomes acturos se in crastinum aliquid putabant, et tamen nocte eadem repentina morte defuncti sunt, in laqueo ruinae deprehensi?

⁶ Sed considerandum nobis est, dilectissimi, quod ad haec agenda invisibilis iudex venti tenuissimi spiritum movit, unius procellam nubis excitavit, et terram subruit, casura tot acedificiorum fundamenta concussit. Quid ergo iudex iste facturus est, cum per semetipsum venerit, et in ultionem peccatorum ira eius exarserit, si portari non potest cum nos per tenuissimam nubem ferit? In irae eius praesentia quae caro subsistet, si ventum movit, et terram subruit, concitavit aera, et tot acedificia stravit? Hanc distractionem venturi iudicis Paulus considerans, ait: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (HEBR. X, 31). Hanc Psalmista exprimit, dicens: *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, et in cir-*

cautu ems tempestas valida (PSAL. XLIX, 3). Distractionem quippe tantae iustitiae tempestas ignisque comitantur, quia tempestas examinat, quos ignis exurat. Illum ergo diem, fratres charissimi, ante oculos ponite, et quidquid modo grave creditur in eius comparatione levigatur. De illo etenim die per Prophetam dicitur: *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta et velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies irae, dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbini, dies tubae et clangoris* (SOPHON. I, 14, seq.). De hac die Dominus iterum per Prophetam dicit: *Aduca semel et ego movebo non solum terram, sed etiam coelum* (AGGAEI II, 22). Ecce, ut praediximus, aerem movit, et terra non subsistit? quis ergo ferat, cum coelum moverit? Quid autem terrores quos cernimus, nisi sequentis irac praecones dixerimus? Unde et considerare necesse est quia ab illa tribulatione ultima tantum sunt, istae tribulationes dissimiles quantum a potentia iudicis persona praeconis distat. Illum ergo diem, fratres charissimi, tota intentione cogitate, vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia resistendo vincite, perpetrata autem fletibus punite. Adventum namque aeterni iudicis tanto securiores quandoque videbitis, quanto nunc distractionem illius timendo praeventis.

Varia de Adventu, ex Benedicto XIV.
(INSTIT. XI, 1-5).

I.

FALSA in vulgus imperitum, et pietati non valde addictum nimis libere pervasit opinio Adventum Domini pro viris tantum, ac mulieribus institutum fuisse, qui Religionis voto se obstrinxerint, ita ut illi dies a ceteris differre parum, aut nihil ipsi videantur.

II. Ut haec sententia temeritatis, atque scandali nota liberetur, de abstinentia solum, ac ieiunio intelligenda est; ne autem falsa sit eadem sententia, Orientalis Ecclesiae ab Occidentali, et priora tempora a posterioribus secretanda sunt: postremo ut a maiori labe, ac censura vindicaretur, completi omnino non debet pietatis opera, quibus ad celebrandum Domini Adventum Fideles Ecclesiae cohortatur.

III. Ac primo ieiunium in Adventu simul, cum abstinentia ab Ordinibus Regularibus nunc observatur, quod aliqui incipiunt a die Festo Sancti Martini, vel etiam Sanctae Catharinae, alii a prima Adventus Dominica, et nonnulli etiam a celebritate omnium Sanctorum, uti Cardinalis Cozza accurate perpendit.

IV. Nunc etiam Orientis Ecclesiae temperantiam a festo S. Philippi auspiciatur, quod die 14. Novembris solemnium cultu celebrare consuevit (et ideo S. Philippi Quadragesimam nuncupat): eamque ad Natalem usque Salvatoris diem prosequitur. Per id temporis se a carnibus, butyro, lacte, et ovis abstinet; pisces tamen, oleumque adhibet, et vino utitur; quae solemniori Quadragesimae tempore omnino vetantur. Septem dierum spatio ieiunium solum iubentur Graeci, licet pietatis causa universi ieiunare, soleant, uti Bailethii testimonio satis comprobatur.

V. Tandem (ut nihil de Religiosis Ordinibus loquamur, quibus peculiari lege temperantia praecipitur) ex consuetudine Occidentalis Ecclesiae abstinentia, seu ieiunium per Domini Adventum nemini indicitur, non tamen hic mos olim obtinuit. Nam, ut monumenta, quae ad Ecclesias transalpinas pertinent, silentio praeterreamus, ac de sola Italia verba faciamus, diploma ab Aistulpho Longobardorum Rege anno 753 obsignatum conservatur, in quo 40 lucios a Monachis Nonantulae pro S. Martini Quadragesima quotannis exigit: Quadragesimae autem nomine Salvatoris Adventus intelligitur, uti Martene testatur. Nicolaus Primus Pontifex, qui circa medium saeculum IX floruit, cum ieiunia, quae ab Ecclesia Romana recepta erant, enumeraret, illud etiam Adventus recenset: *Hoc ieiunium Sancta Romana Ecclesia suscepit antiquitus, et tenet*. B. Petrus Damianus, qui saeculo XI vixit, cum de Canonicoorum Veliterorum reformatione agit, Quadragesimam commemorat, quae ante diem Natalem Domini a Fidelibus observari solebat. Innocentius autem Tertius, qui initio saeculi XII Pontificatum gessit, Archiepiscopo Bracharensi respondens, iis verbis utitur: *Ieiunium apud nos in Adventu Domini agitur*. Postquam Avinionem Sedes Apostolica translata fuit, haec disciplina immutata est, eamque ad suos familiares, ac domesticos omnes Urbanus V redegit, uti Raynaldus

de familia eius Pontificis scribens luculenter exponit: *Generaliter, et indistincte in Adventu Domini, et duobus diebus quartum feriam Civitatem tunc diute praecedentibus ab esu carnis abstinuerit, et diebus diebus saecularibus, et laicos in Curia existentes etiam voluit comprehendit*. Ut id magis confirmetur, testimonium Beleti afferemus, qui secum expendens, qua ratione ab Ecclesia ieiunium ante festum S. Thomae Apostoli minime indicatur, hoc pacto respondet: *Quia Festum eius est in Adventu, in quo quasi continuum ieiunium debemus observare, quod etiam Martene explicavit*.

FERIA SECUNDA

Homilia S. Bernardi Abbatis.

IN ADVENTU DOMINI SERMO I.

HODIE, fratres, celebramus Adventus initium; cuius utique, sicut et ceterarum solemnitatum, nomen quidem celebre satis et notum mundo, sed ratio nominis forte non ita. Infelices enim filii Adam, omissis veris et salutaribus studiis, caduca potius et transitoria quaerunt. Quibus assimilabimus homines generationis huius, aut quibus comparabimus illos quos videmus a terrenis et corporalibus consolationibus avelli separari non posse? Profecto similes sunt his qui submersi periclitantur in aquis. Nimirum videas eos tenentes tenere, nec ulla ratione desere quod primum occurrerit manibus, quidquid sit illud, licet tale sit aliquid quod omnino proficere non possit, ut sunt radices herbarum ceteraque similia. Nam et si qui ad eos forte veniant ut subveniant, nonnumquam solent apprehensos involvere secum, adeo ut iam nec sibi, nec illis auxilium ferre praevalear. Sic pereunt in hoc mari magno et spatioso, sic pereunt miseri; dum, peritura sectantes, amittunt solida, quibus apprehensis emergere et salvare pos-

sent animas suas. Neque enim de vanitate, sed de veritate dicitur: *Cognoscetis eam, et liberabit vos* (IOANN. VIII, 32). Vos igitur, fratres, quibus tanquam parvulis revelat Deus quae abscondita sunt a sapientibus et prudentibus, circa ea quae vere salutaria sunt sedula cogitatione versamini et diligenter pensate rationem Adventus huius, quaerentes nimirum qui sit qui veniat, unde, quo, ad quid, quando et qua. Laudabilis sine dubio curiositas ista est et salubris: neque enim tam debote Ecclesia universa praesentem celebrare Adventum, nisi lateret in eo magnum aliquod sacramentum.

Primo igitur loco cum Apostolo stupente et admirante intueamini et vos quantus sit iste qui ingreditur. Ipse enim est, secundum Gabrielis testimonium, Altissimi Filius, ac proinde coaltissimus ipse. Neque enim fas est Dei Filium degenerem suspicari: sed aequalis fateri necesse est altitudinis et eiusdem penitus dignitatis. Nam et filios principum principes, et filios regum reges esse quis nesciat? Verumtamen quid sibi vult quod e tribus personis, quas in summa Trinitate credimus, confitemur et adoramus, non Pater, non Spiritus sanctus advenit, sed Filius? Minime quidem ego id factum esse arbitror sine causa. Sed quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Neque enim sine altissimo Trinitatis consilio factum est ut Filius adveniret: et, si consideramus exilii nostri causam, fortassis advertere possumus vel ex parte quam congruum fuerit a Filio nos maxime liberari. Lucifer enim ille, qui mane oriebat, pro eo quod Altissimi similitudinem usurpare tentavit, et rapinam arbitratus est esse se aequalum Deo (quod utique Filii est), praecipitatus illico coitque, quo-

niam zelavit pro Filio Pater, et opere dixisse videtur: *Mihi vindictam, et ego retribuam* (ROM. XII, 19). Continuo videbam satanam tamquam fulgur cadentem de coelo. Quid tu igitur superbis, terra et cinis? Si superbientibus angelis Deus non peperit, quanto magis tibi, putredo et vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus est: tantum cogitavit superbiam; et in momento, in ictu oculi, irreparabiliter praecipitatus est: quia, iuxta Evangelistam, *in veritate non stetit* (IOANN. VIII, 44).

14 Fugite superbiam, fratres mei, quaeos; multum fugite. Initium omnis peccati superbia: quae tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem aeterna caligine obtenebravit Luciferum; quae non modo angelum, sed angelorum primum in diabolum commutavit. Unde et protinus invidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem; suadens ut lignum vetitum gustans fieret sicut Deus, sciens bonum et malum. Quid enim polliceris, quid promittis, miser, cum Filius Altissimi scientiae clavem habeat, immo et ipse sit *clavis David, qui claudit, et nemo aperit?* (APOC. III, 7). In eo sunt homines thesauri sapientiae et scientiae absconditi: tunc eos, ut homini praestes, inique furaberis? Videtis quia, iuxta Domini sententiam, *mendax iste est et pater eius* (IOANN. VIII, 44). Nam et mendax fuit, dicens: *Similis ero Altissimo* (IS. XIV, 14); et mendacii pater, cum in hominem quoque venenatum suae falsitatis seminarium effudit, dicens: *Eritis sicut dii* (GEN. III, 5). Tu quoque, o homo, si vides furem, curris cum eo. Audistis, fratres, quid hac nocte lectum est in Isaiâ, dicente Domino: *Principes tui infideles* (IS. I, 23), vel, ut alia translatio habet, *inobedientes, socii furum*.

15 Revera enim principes nostri Adam

et Eva, principia nostrae propaginis, inobedientes et socii furum; qui quod Filii Dei est, serpentis, immo diaboli per serpentem consilio surripere tentat. Nec dissimulat iniuriam Filii Patris (Pater enim diligit Filium), sed continuo et in ipsum hominem vindictam retribuit, et aggravat super nos manum suam. Omnes enim in Adam peccavimus, et in eo sententiam damnationis accepimus omnes. Quid agat Filius, videns pro se zelare Patrem et nulli penitus parcere creaturae? Ecce, inquit, occasione mei creaturas suas Pater amittit. Altitudinem meam primus angelus affectavit, et populum qui sibi crederet habuit: sed continuo Patris zelus graviter vindicavit in illum, percutiens cum pariter cum omnibus suis plaga incurabili, castigatione crudeli. Scientiam quoque, quae nihilominus mea est, surripere voluit homo: et ne illi quidem misertus est, nec peperit oculus eius. *Nunquid de bobus cura est Deo?* (I COR. IX, 9). Duas tantum fecerat nobiles creaturas rationis participes, capaces beatitudinis, angelum videlicet atque hominem: sed ecce propter me angelos perdidit multos, homines universos. Ergo, ut sciant quia et ego diligo Patrem, per me recipiat quos quodammodo propter me amisisse videtur. *Si propter me tempestas haec orta est, ait Ionas, tollite me et mitte in mare* (IONAE I, 12), omnes invident mihi. Ecce venio, et talem eis exhibeo memetipsum ut quisquis invidere voluerit, quisquis gestierit imitari, fiat ei aemulatio ista in bonum. Novi tamen in affectum malitiae et nequitiæ transisse angelos desertores, nec ex ignorantia aliqua seu infirmitate peccasse: ideoque perire necesse est poenitere nolentes. Patris enim amor, et honor regis iudicium diligit.

Propter hoc enim et ipse creavit ho-

mines ab initio, qui supplerent locum illum, et ruinas Ierusalem restaurarent. Sciebat enim nullam angelis patere redeundi viam. Nempe *novit superbiam Moab, quod superbus est valde* (IS. XVI, 6); et superbia eius poenitentiae remedium non admittit, ac per hoc nec veniae. At vero hominis vice nullam postea condidit creaturam, innuens ex hoc ipso redimendum adhuc hominem, quippe quem supplantavit aliena malitia: ideoque prodesse ei potest charitas aliena. Ita, Domine, obsecro, complaceat tibi ut eruas me, quoniam ego infirmus sum, quoniam de terra mea furtim sublatus sum, et hic innocens in lacum missus sum. Non penitus quidem innocens, sed, quantum ad eum qui me seduxit, innocens aliquatenus. Mendacium mihi persuasum est, Domine: veniat Veritas, ut possit falsitas deprehendi, et cognoscant veritatem, et veritas liberabit me; si tamen deprehensae falsitati penitus renuntiavero, et cognitae adhaesero veritati. Alioquin non humana erit tentatio, nec humanum peccatum, sed obstinatio diabolica. Nam perseverare in malo diabolicum est: et digni sunt perire cum illo quicumque in similitudinem eius permanent in peccato.

17 Ecce, fratres, audistis qui sit qui veniat: considerate iam unde veniat et quo. Venit utique de corde Dei Patris, in utero virginis Matris; venit a summo coelo in inferiores partes terrae. Quid ergo? Nonne et nobis in terra est conversandum? Est, si tamen in ea perstitit ille. Ubi enim bene erit sine illo, aut ubi male esse poterit cum illo? *Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei et pars mea, Deus, in aeternum.* (PSAL. XXII, 25). *Nam etsi ambulavero in medio unbrae mortis, non timebo mala, si tamen tu*

mecum es (PSAL. CXXXVII, 7). Nunc autem, ut video, et ad terras et ad ipsum quoque descendit infernum: non tamquam vincitus, sed tamquam inter mortuos liber; sicut lux quae in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Unde nec relinquitur anima in inferno, nec sanctum corpus in terra videt corruptionem. Christus enim qui descendit, ipse est et qui ascendit ut adimpleret omnia, de quo scriptum est: *Qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* (ACT. X, 38); et alibi: *Exsultavit ut gigas ad currendam viam; a summo coelo egressio eius, et occursum eius usque ad summum eius* (PSAL. XVIIII, 6). Merito proinde clamat Apostolus, dicens: *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* (COLLOSS. III, 1). Incassum laboraret erigere corda nostra, nisi collocatum in coelis salutis nostrae doceret auctorem. Sed videamus iam quae sequuntur. Nam etsi materia quidem copiosa invenitur et uberrima valde, sed angustiae temporis tantam sermonis longitudinem non admittunt. Considerantibus ergo quis veniat, magna omnino et ineffabilis maiestas innotuit. Suspicientibus unde veniat, grandis plane patuit via, secundum eius testimonium qui propheticè praeventus spiritu: *Ecce, inquit, nomen Domini venit de longinquo* (IS. XXX, 27). Porro quo veniat intuentibus, apparuit inaestimabilis dignatio et penitus inexcogitabilis, quod in carceris huius horrorem tanta descendere dignata est celsitudo.

18 . Iam quis dubitet magnum aliquid in causa fuisse ut maiestas tanta, de tam longinquo, in locum tam indignum descendere dignaretur? Plane magnum aliquid; quia misericordia magna, quia miseratio multa, quia charitas copiosa. Ad quid enim venisse credendus est?

Hoc namque est quod iuxta positum ordinem oporteat iam perscrutari. Nec sane laborandum est in hac parte, cum manifeste adventus eius causam et verba ipsius et opera clament. Ad quaerendam quippe ovem centesimam, quae erraverat, de montibus properavit; et ut confiteantur manifestus Domino misericordiae eius, et mirabilia eius filiis hominum, propter nos venit. Mira quaerentis Dei dignatio, magna dignitas hominis sic quacsiti! In qua si gloriarī voluerit, non erit insipiens: non quod aliquid esse videatur tanquam a se ipso, sed quod tanti eum fecerit ipse qui fecit. Omnes enim divitiae, omnis gloria mundi et quidquid in eo concupiscitur, minus est ad hanc gloriam: immo nec est aliquid in comparatione eius. Domine, *quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* (Iob vii, 17).

¹⁹ Attamen velim nosse, quid sibi voluerit, quod ad nos venit ille, aut quare non magis ivimus nos ad illum. Nostra enim erat necessitas: sed nec est consuetudo divitum ut ad pauperes veniant, nec si praestare voluerint. Ita est, fratres, nos magis ad eum venire dignum fuit; sed duplex erat impedimentum. Nam et caligabant oculi nostri: ille vero lucem habitat inaccessibilem; et iacentes paralytici in grabato divinam illam non poteramus attingere celitudine. Propterea benignissimus salvator et medicus animarum descendit ab altitudine sua, et claritatem suam infirmis oculis temperavit. Induit se laeterna quadam, illo utique glorioso et ab omni labe purissimo corpore quod suscepit. Haec est enim illa levisissima plane et praefulgida nubes supra quam ascensurum eum Propheta praedixerat, ut descenderet in Aegyptum.

²⁰ Tempus est iam ipsum quoque con-

siderare tempus quo Salvator advenit. Venit enim (quod et vos credimus non latere) non in initio nec in medio temporis, sed in fine. Nec incongrue factum est, sed vere sapienter disposuit Sapientia ut cum magis esset necessarium, tunc primo ferret auxilium, pro nos ad ingratitudinem Adae filios non ignorans. Vere enim advesperascebat et inclinata erat iam dies, recesserat paulo minus sol iustitiae; ita ut exiguus nimis splendor eius aut calor esset in terris. Nam et lux divinae notitiae parva admodum erat, et abundante iniquitate fervor refrigerat charitatis. Iam non apparebat angelus, non loquebatur propheta; cessabant velut desperatione victi, prae nimia utique duritia hominum et obstinatione: at ego, ait Filius: *Tunc dixi, Ecce venio* (PSAL. xxxix, 8). Sic, sic: *Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu iter perageret, omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit* (SAP. xviii, 14, 15). Quod et Apostolus innuens aiebat: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* (GALAT. iv, 4). Nimirum plenitudo et abundantia temporalium oblivione et inopiam fecerat aeternorum. Opportune ergo tunc advenit aeternitas, quando magis temporalitas praevalcebat. Nam, ut cetera, silcam, ipsa quoque pax temporalis illo in tempore tanta fuit ut ad hominis unius edictum describeretur universus orbis.

Habetis iam et personam venientis ²¹ et locum utrumque, idest a quo et laeterna venit: causam quoque et tempus non ignoratis. Unum restat, via scilicet per quam venit; et haec quoque diligentem requirenda, ut possimus, sicut dignum est, ei occurrere. Verumtamen sicut ad operandam salutem in medio terrae venit semel in carne visi-

bilis, ita quotidie ad salvandas animas singulorum in spiritu venit et invisibilis, sicut scriptum est: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus* (THIREX. iv, 20). Et ut nos noveris occultum esse spirituale hunc adventum: *In umbra eius, inquit, vivemus inter gentes*. Propterea dignum est ut, si non valet infirmus in occursum tanti medici procedere longius, saltem, conetur erigere caput et aliquatenus assurgere venienti. Non te oportet, o homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinae necesse est. Non grandis, inquam, tibi ostenditur via: usque ad temetipsum occurre Deo tuo. Prope est enim verbum in ore tuo et in corde tuo. Usque ad cordis compunctionem et oris confessionem occurre, ut saltem excaec de sterquilinio miserac conscientiae: quoniam indignum est illuc auctorem puritatis intrare. Et haec quidem de eo adventu dicta sunt quo singulorum mentes invisibili dignatur illustrare praesentia.

²² Libet autem manifesti adventus viam considerare: quoniam viae eius, viae pulchrae, et omnes semitae eius pacificae. *Ecce, inquit sponsa, venit is saliens in montibus, transliens colles* (CANT. ii, 8, 6). Venientem vides, o pulchra, sed cubantem videre ante non poteris. Dixisti enim: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes* (Ibid. i, 6). Cubans pascit angelos in illas perpetuas aeternitates, quos satiat visione aeternitatis, et immutabilitatis suae. Sed ne ignores te, o pulchra: quoniam mirabilis facta est visio illa ex te; confortata est, et non poteris ad eam. Verumtamen ecce egressus est de loco sancto suo: et qui cubans pascit angelos, ipse coepit, sicque sanabit nos: et videbitur veniens et pastus, qui cubans, et pascens ante videri non pote-

rat. Ecce venit hic saliens in montibus, transliens colles. Montes et colles, patriarchas et prophetas accipie; et quem admodum venerit saliens et transliens, in libro generationis lege: *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, etc.* (MATTH. i, 2). Ex his montibus prodiit, ut invenies, radix Iesse, unde, iuxta Prophetam, egressa est virga, et exinde flos ascendit, super quem requievit Spiritus septiformis. Quod manifestus alio in loco aperiens idem Propheta: *Ecce, inquit, virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus* (Is. vii, 14). Quem enim prius florem, ipsum deinde Emmanuelem; et quam dixerat virgam, manifestus exprimens, virginem nominavit. Sed necesse est altissimi huius sacramenti considerationem diei alteri reservare: digna est enim proprio sermone materia, praesertim quod in longum iam hodiernus sermo processerit.

Varia de Adventu, ex Benedicto XIV.
(INSTIT. xi, 6-10).

²³ VI. Sed iam ad sancta pietatis opera devenimus, quae nunc etiam Fidelibus ab Ecclesia proponuntur, ut universi curae nostrae commissi ad copiosos fructus pro aeterna salute comparandos vehementius excitentur. Itaque primum agemus de sacri Adventus origine, deinde quam ob causam institutus fuerit, et postremo de Ritibus, qui per hoc tempus excoluntur; sic enim fore confidimus, ut maiori studio, ac religione, quod magnopere optamus, sanctissimi dies celebrentur.

²⁴ VII. Si fidem Durando praestamus, Adventus Domini celebritatem S. Petrus Apostolorum Princeps induxit. Bailettius tamen studio suae Galliae nimium adductus, Sancto Perpetuo Turonensi Episcopo, qui circa medium saeculum V vixit, illius institutionem adscribit: Ieiunium per tres dies in singulis hebdomadis ante Festum S. Martini usque ad Natale Domini ab eodem Sancto Perpetuo propositum testatur. Sed auctoritate Martenis natione pariter Galli Adventus initium ad saeculum VI referemus, et Sanctum Gregorium Pontificem aucto-

rem affirmabimus; cum praesertim ad eandem sententiam Amalarius, et Abbas Beno se penitus conformaverint. Insuper in *Sacramentario* S. Gregorii quatuor Dominicis dies adventus nominantur, quibus deinde in aliquibus locis quintus, et sextus accesserunt, iuxta Ritum Ambrosianum, qui a prima Dominica post Festum S. Martini celebritatem Adventus orditur: *Ambrosianus Adventus* (ait Rodolphus Tungrensis) *habet sex septimanas, et incipit Dominica post Festum S. Martini.*

25 VIII. Duos Salvatoris Adventus perpendere possumus, ob quos Sancta Mater Ecclesiae huiusmodi celebritatem constituit; alter iam praeterit, alterum expectamus. Primi Adventus nomine Tempus illud intelligitur, cum mortalitatem nostram Dei Filius induit, et acerbissimum mortis genus subivit, ut captivitatibus vinculis, quibus diutissime tenebantur homines, vindicaret. *Tempus* (ita Rupertus) *quod Dominicae Nativitatis memoria antecedit, ideo adventus nuncupatur, quia totus eius ecclesiasticus ordo iuxta contemplationem Adventus Domini dispositus est. Advenire autem recte Dominus dicitur, qui ubique est invisibilis praesentia maiestatis, dum assumpto, quod visibile est nostrum, visibus carnis, visibilibus se ostendit.*

26 IX. Secundo iterum Salvator advenit, cum ad formidabile iudicium universos homines convocabit. Eam ob causam (ut Ponget merito pendit) die primo Dominico Adventus illud Evangelium recitatur, in quo maiestas Christi Iudicis describitur; (cum scilicet nulla infirmitate circumdatus sicut in terras primo venienti contigit) sed coeli nubibus insidens, et immenso beati corporis maiestatisque lumine circumfulgens ad genus hominum iudicandum descendit. Id vero quam convenienter sit Estii praeclearis verbis ostenditur: *Qui inter duos mediatorem se interponit, dummodo hinc, modo illi parti se adiungit, personam quodammodo mutat, eique assimilatur, cuius pro tempore partes agit. Quare, cum Christus mediator Dei, et hominum, qui in priori suo Adventu nostram agens causam apud Patrem, nostram sumpsit personam, quando venit in similitudinem carnis peccati, circumdatus infirmitate et per omnia nobis assimilatus est absque peccato, consequens est, ut in altero Adventu non hominum, sed Dei partes accipiat, Dei personam sumat, id est in forma gloriosa appareat, in qua Deo similis sit, cuius formae exhibitione simul et bonis securitatem, et malis terrorem offert. Hinc factum est, ut Ecclesia per hosce dies cum laetitia, ac voluptate, etiam moeroris signa praeseferat: laetitia quidem indulget pro Christi Salvatoris priori Adventu, ob quem festivum Aleluia in Divinis Officiis non omittit, ac toto die Dominico dalmaticam Diaconis, tunicellam Sub-*

diaconis iterum concedit: moerorem autem ostendit, dum Christi Iudicis Adventum contemplantur. Qua de re (ut nihil de peculiari quarundam Ecclesiarum disciplina, vel piorum Ordinum consuetudine loquamur), qui olim tempore Adventus nigrum colorem in Sacris peragendis adhibere, et religiosas Imagines non secus, ac Passionis tempore fieri solet, obtegere consueverunt, sicut Martene praeclearè ostendit, nunc etiam *Gloria in Excelsis* in Missae Sacrificio, ac *Te Deum* in officio praetermittitur. A Diaconis vero dalmaticae, et Subdiaconis tunicellae deponuntur, qui casulas complicatas assumunt, quas etiam non semel exuunt. Sapientissimus Cardinalis Bona huiusce Ritus initium nulla diligentia se invenire potuisse testatur. Sed quod ad rem nostram pertinet, cum Sacrae vestes, quas modo diximus, laetitiam praeseferant, ut ex Canone de ieiunio dist. 76 clare deprehenditur: *Et tunc propter solemnitatem sancti Spiritus Diaconi dalmaticis utantur*: cum etiam Adventus tempora moerorem afferant, mirandum non est, si Diaconus, ac Subdiaconus dalmaticas, et tunicellas ponant, et Casulam induant, quam ante pectus complicatam gerunt, camque sibi etiam detrahunt, cum Evangelium, aut Epistolam recitent, nempe ut significent tunc temporis ratione numeris ad ipsos Casulam minime pertinere, sed a Presbytero, veluti commodatam, accipere. Ita sentiant Quartus et Gavantus, a quibus rubricae, quae ad Missae Sacrificium spectant, fusius explicantur; sed etiam ante ipsos Rupertus hanc sententiam tradidit: qui postquam a Diaconis, et Subdiaconis tristitiae signo dalmaticas, ac tunicellas exui, casulasque sumi declaravit, haec inde superaddit: *Ut in ipsis legant, vel ministrent, sed lecturi, aut ministraturi illas exuunt, manifeste profitentes illam suam non esse vestem, nec propter suum Ordinem sibi debitam, sed propter Dominicae, vel alicuius Festi reverentiam, se accipere accomodatam, ut inopem, atque indigentem consolentur expolationem.*

X. Quae cum ita se habeant, quisnam Christi 27 Salvatoris, et postremo Iudicis binos Adventus secum considerans viris, ac mulieribus tantum, quae claustris includantur, hos sanctissimos dies observandos audeat asserere, nullumque discrimen a ceteris anni temporibus intercedere? Permittite universi, qui nobis commendati estis, ut sermonem ad vos Sancti Ambrosii verbis convertamus: *Hoc tempore, Fratres carissimi, non immerito Domini Adventus vocatur, non sine causa Sancti Patres, Adventum Domini celebrare coeperunt, sermones de his diebus ad populum habuerunt; ut nunquam ideo instituerunt, ut se unusquisque fidelis praepararet, et emendaret, quod digne Dei, ac Domini sui Nativitatem celebrare valeret. Sinite, ut vos*

maiori quo possumus studio moncamus, ne unquam peccati soribus, ac potissimum per hosce dies libidine ulla animam turpiter inquinets. Equidem Decessorum leges in delinquentibus hoc tempore evulgatas, hac nostra Consuetudine renovamus, licet cum illis mulieribus deprehendantur, quarum impudentia reliquis anni temporibus dissimulanda est, ne gravius detrimentum, ac turbas Respublica patiatur. Incredible sane est initio Ecclesiae Fideles tanta religione, ac pietate incensos fuisse, ut sacro Adventus tempore coniuges ipsi ab omni commercio abstinerent, sicut auctor eius Epistolae testatur, quae ad Bibianum data est, et S. Augustino adscribitur. *Apud nos* (ide Festo S. Martini sermo est) *itaque ex eius solemnitate abstinentia a carnibus, vel coniugali copula filius Ecclesiae induitur, ut ad Natalem Domini securus committent. Idem sentit Raterius Veronensis Episcopus: In Adventu Domini, nisi festivitas intercedat, quatuor hebdomadibus a carnibus abstinendum, ut ad Natalem Domini securus committent. Idem sentit Raterius Veronensis Episcopus: In Adventu Domini, nisi festivitas intercedat, quatuor hebdomadibus a carnibus abstinendum, et coitu. Nunc autem vix timore, ac minus a luxuria et maleficiis absterrentur. Iterum rediisse videntur inflicta tempora aetatis mediae, cum fato misero nefandoque in Gallis mos obtinuerat, ut pro illatis sibi, vel consanguineis suis iniuriis homines privata auctoritate gravissimas inimicitias gererent, poenasque deponerent; contra quam consuetudinem Du Cange ad Ioinvillam, sapienter, atque erudite discussit. Tunc ipse Pontifex Alexander III pervicaciam hominum improbitate compulsus fuit ipsos obstetari, ut saltem aliquibus per annum diebus, ac potissimum in Adventu Domini usque ad octavam Epiphaniae diem, animos ab intestinis odii, funestisque bellis avocarent.*

FERIA TERTIA

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.

COMMENT. IN EVANG. LUCAE, CAP. 21.

28 **E**t erunt signa in sole, etc. Postquam praedixit, quae ventura erant generaliter, circa persecutionem, et circa destructionem Ierusalem, hic quarto praedicit, quae ventura sunt circa Iudicium finale. In hac autem eruditione primo discipulos erudit ad providentiam. Secundo erigit ad

confidentiam, ibi: *His autem fieri incipientibus, etc. Tertio vero exhortat ad vigilantiam, ibi: Attendite autem vobis etc.*

Circa iudicium finale universalem describit commotionem ex parte naturae coelestis, elementaris, rationalis, intellectualis et ipsius iudicis apparentis.

Primo ergo quantum ad naturam coelestem dicit: *Et erunt signa in sole et luna et stellis. Solem et lunam specialiter nominat tamquam duo praecipua luminaria et secundum apparentiam et secundum efficaciam; Genesis primo: "Fecit Deus duo magna luminaria: luminare maius, ut praesesset diei, et luminare minus, ut praesesset nocti, et stellis". In his ergo luminariis apparentibus signa obscuracionis, secundum illud loelis secundo: "Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis". Horribilis autem erit propter illorum luminum obscuracionem, secundum illud Psalmi: "Fecit lunam in tempore, sol cognovit occasum suum. Posuisti tenebras", etc.; et de hac Sapientiae decimo septimo: "Nec siderum limpidissima flammae illuminare poterant illam noctem horrendam". Unde haec luminaria, quae in principio temporis posita sunt in firmamento in signa per sui lucem, secundum illud Genesis primo: "Fiant luminaria in firmamento coeli et sint in signa et tempora", etc.; in fine temporum in signa sunt finis per lucis occultationem. Unde Apocalypsis sexto: "Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, et stellae ceciderunt de coelo super terram"; et Matthaei vigesimo quarto: "Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo". — Hic autem beatus Lucas non expri-*

mit, quod stellae *cadent*, sed quod in eis erunt *signa*; quia revera corpora stellarum coelestium non mutabunt situm secundum substantiam, sed secundum apparentiam. Virtute stellarum, imminente iudicio, impressiones plurimae generabuntur, quas Philosophus vocat *assub*, quae ita multiplicabuntur, ut cadere videantur stellae coelorum.

31 Et attendendum est, quod sicut luminaria sunt signa naturalium secundum operationes naturales, sic sunt in signa eorum quae supra naturam eveniunt, per aliqua in eis super naturam facta. Nam in designationem *mirabilis virtutis Christi* sol stetit, secundum illud Iosue decimo: "Sol contra Gabaon non movearis, et luna contra vallem Aialon." "Stetitque sol in medio coeli et non festinavit occumbere spatio unius diei." In designationem autem *mirabilis dignationis* sol decem gradibus retrocessit; Isaiae trigesimo octavo: "Reversus est sol per decem lineas, per gradus, per quos descenderat," quia homo post novem ordines Angelorum decimum tenet locum. In designationem vero *admirabilis passionis* tam in *capite* quam in *membris* sol obscuratus est in passione *capitis*; infra vigesimo tertio: "Tenebrae factae sunt in universam terram, et obscuratus est sol," similiter in passione *corporis*; Apocalypsis octavo: "Percussa est tertia pars solis et tertia pars lunae et tertia pars stellarum," quod refertur ad corpus, quia, Apocalypsis duodecimo: "draco traxit tertiam partem stellarum."

32 Secundo quantum ad *naturam elementarem* subdit: *Et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum*. Beda: "Appropinquante extremo iudicio, sonitus maris et fluctuum confunditur, quia, appropinquante termino suo, elementa quasi paventia nu-

tant et tremunt," Sapientiae quinto: "Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum," "Ibunt directe emissiones fulgurum, et tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur et ad certum locum insilient. Et a petrosa ira plenae mittentur grandines, et excandescent in illos aqua maris," Unde tunc verificabitur illud Exodi decimo quinto: "In spiritu furoris tui congregatae sunt aquae," Ipse enim Dominus, qui conturbat mare; Isaiae quinquagesimo primo "Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus eius," Et hoc quidem iusto iudicio suo; quia, sicut dicitur Isaiae quinquagesimo septimo: "impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem," Et tunc erit confusio omnium elementorum, iuxta quod in Aegypto factum est, secundum illud Exodi nono: "Ignis et grando mixta pariter ferebantur," Et in hac confusione erit sonitus terribilis; tunc enim verificabitur illud Psalmi: "Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas," Hic enim sonitus designat sonitum terribilis vocis ipsius iudicis; unde Apocalypsis primo: "Oculi eius tamquam flamma ignis, et pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti, et vox eius sicut vox aquarum multarum," Ezechielis primo: "Audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum et quasi sonum sublimis Dei; cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum,"

Tertio quantum ad *naturam rationalem* subdit: *Arescentibus hominibus prae timore et expectatione, quae supervenit universo orbi*. Tunc enim implebitur illud Matthaei vigesimo quinto: "Media nocte clamor factus est: Ecce, sponsus

venit," etc.; unde Glossa: "Hoc de ipso adventu intelligitur, cum omnes virgines prudentes et fatuae, insolito clamore suscitatae, lampades ornant, id est, secum opera numerant, pro quibus maximo cum timore iam instantem aeterni discriminis expectant adventum," Dicuntur autem *homines arescere*, qui vixerunt secundum carnem; nam Isaiae quadagesimo: "Omnis caro foenum," "Exsiccatum est foenum," etc.; unde et Iacobi primo: "Exortus est sol cum ardore et arefecit foenum," *sol iustitiae* veniens ad iudicium unde Beda: "In expectatione districti examinis qui in hoc mundo floruerunt exarescent," secundum illud Exodi decimo quinto: "Irruat super eos formido et pavor in magnitudine brachii tui," Tunc in illis, in quibus securitas fuit et gaudium, non erit nisi timor et luctus; quia, primae ad Thessalonicenses quinto: "cum dixerint: Pax et securitas, tunc repentino eis superveniet interitus," Unde Chrysostomus: "Nec erit resistendi virtus nec poenitentiae locus nec satisfactionis facultas; ex angustia omnium rerum nihil remanet nisi luctus," Unde Matthaei vigesimo quarto: "Apparebit signum Filii hominis in coelo, et tunc plangent omnes tribus terrae,"

34 Quarto quantum ad *naturam intellectualem* subdit: *Nam virtutes coelorum movebuntur; virtutes autem coelorum sunt Angeli beati, qui ex conturbatione omnium dicuntur commoveri*, secundum illud Iob vigesimo sexto: "Columnae coeli contremiscunt et pavent ad nutum eius," Dicuntur autem *pavere et contremiscere* non timore poenae, sed timore reverentiae et horrore divinae vindictae, secundum illud Iob quadagesimo primo: "Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli et terri purgabuntur," Unde sicut quis super montis supercilio existens quo-

dam modo terretur ex combustione villae alicuius vel hiatus terrae, sic quodam modo coelestes illae virtutes pavebunt in illa terribili ultione. Unde Hieronymus: "Quid faciet virgula deserti, ubi timore concutitur cedrus Libani paradisi?" Unde Isaiae sexto: "Commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus repleta est fumo," Unde Chrysostomus: "Si rex, processurus ad bellum contra aliquem, expeditionem mandatum in populo, dignitates omnes moventur, exercitus concitatur, tota civitas fervet; quanto magis, rege coelesti exurgente iudicare vivos et mortuos, angelicae virtutes commoventur, terribiles ministri, terribilem Dominum praecedentes, ante ipsum pro candelabris fulgura viva praecedent, pro turbis horrenda tonitrua? Vere magna vox, cui omnia obediunt elementa, quae petras scindit, inferos aperit, vincula mortis dirumpit,"

35 Quinto quantum ad *iudicem apparentem* dicit: *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate*; Apocalypsis primo: "Ecce, venit cum nubibus, et videbit cum omnis oculus, et qui eum viderunt," Et de hoc adventu Danielis septimo: "Aspiciebam ego in visione noctis, et ecce, cum nubibus coeli quasi Filius hominis veniebat et usque ad antiquum diem pervenit, et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum. Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur," Et hic adventus erit terribilissimus adeo, quod impleatur illud Isaiae secundo: "Incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum, et elevabitur Dominus solus in die illa, et idola penitus conterentur," "Et ingredietur scissuras petrarum et in cavernas saxorum a facie formidinis Domini et a

gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram „ Et ideo in Psalmo: „Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, et in circuitu eius tempestas valida „

- ³⁶ Licet autem multa et mira contingant in iudicio et quasi inenarrabilia, Hieronymus tamen quaedam narrat, quae dicit se reperisse in annalibus Iudaeorum quae a diversis diversimode ordinantur. Dicit enim, quod primo die eriget se mare super altitudinem montium, ut verificetur illud Psalmi: „Mirabiles elationes maris „ — Secundo die in tantum descendet, ut vix videri possit, secundum illud Nahum primo: „Dominus in tempestate et turbine viae eius, et nebulae pulvis pedum eius, increpans mare et exsiccans illud et omnia flumina ad desertum deducens „ Et de his duobus in Psalmo: „Dixit, et stetit spiritus procellae, et exaltati sunt fluctus eius „, etc. — Tertio die marinae belluae ascendentes super mare dabunt rugitus usque ad coelum, quasi futurum narrantes iudicium; Iob duodecimo: „Loquere terrae, et annuntiabit tibi, et narrabunt pisces maris „, etc. — Quarto die ardebit aqua, secundum illud Isaiae sexagesimo quarto: „Utinam dirumpere coelos et descenderes, a facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, aquae arderent igni, ut notum feret nomen tuum inimicis tuis „ — Quinto die herbae et arbores dabunt rorem sanguineum; Apocalypsis decimo quarto: „Et calcatus est lacus extra civitatem, et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum „ — Sexto die ruent aedificia; Apocalypsis decimo sexto: „Et fracta est civitas magna in tres partes, et civitates gentium ceciderunt „; et Matthaei vigesimo quarto: „Non relinquetur lapis super lapidem, qui non

destruatur „, etc. — Septimo petrae collidentur ad invicem, sicut factum fuit in dominica passione; Matthaei vigesimo septimo: „Petrae scissae sunt „, etc. — Octavo die fiet generalis terrae-motus; Apocalypsis decimo sexto: „Et factus est terrae-motus magnus, qualis non fuit, ex quo homines esse coeperunt „. — Nono adacquabitur terra; et tunc implebitur illud Isaiae quadragesimo: „Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur „; et Apocalypsis sexto: „Omnis mons et insulae de locis suis motae sunt „. — Decimo exibunt homines de cavernis suis et ibunt velut amentes et non poterunt sibi mutuo loqui, et hoc prae stupore illorum mirabilium, quae videbunt et expectabunt; et hoc notat hic, cum dicit: „Arescentibus hominibus prae timore „. — Undecimo aperientur sepulchra, et stabunt ossa super ea; et tunc implebitur illud Ezechielis trigesimo septimo: „Ecce, ego aperiam tumulos vestros et educam vos de sepulchris vestris, popule meus „, etc. — Duodecimo stellae cadent de coelo; Matthaei vigesimo quarto: „Stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum movebuntur „. — Tertiodecimo morientur homines, ut cum mortuis resurgant, quia, sicut dicit Apostolus primae ad Corinthios decimo quinto secundum aliam translationem: „Omnes quidem moriemur, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi „, etc. — Quartodecimo ardebit coelum et terra, id est superficies terrae et aëris; secundae Petri tertio: „Adveniet dies Domini ut fur, in quo coeli magno impetu transierint, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera, exurentur „. — Quindecimo die fiet coelum novum et terra nova, et resurgent homines, et fiet iudicium; de hoc Ioannes in Apocaly-

psis vigesimo primo: „Vidi coelum novum et terram novam; primum enim coelum et prima terra abiit, et mare iam non est „.

- ³⁷ *His autem fieri incipientibus* etc. Postquam discipulis crudivit ad providentiam, hic secundo erigit *ad confidentiam*, et hoc quidem facit tripliciter, scilicet *exhortatione consolativa, similitudine manductiva et assertione certificativa.*

³⁸ Primo igitur quantum ad *exhortationem consolatoriam* dicit: *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra*; Gregorius: „*Levate capita*, exhilarate corda, quia, dum finitur mundus, cuius amici non estis, prope est redemptio, quam quaesistis „. *Respicite* igitur per veram fidem, secundum illud supra decimo octavo: „*Respice*, fides tua te salvum fecit „. *Respicite*, inquam, futura, quae non videntur, secundum illud secundae ad Corinthios quarto: „Non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur „, etc. Et hoc quidem fit per *fidem*, de qua ad Hebraeos undecimo: „*Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium „* — *Levate autem per spem*; et rationem huius subdit: *Quoniam appropinquat redemptio vestra*, ad quam spes vestra suspirat. Unde ad Romanos octavo: „*Creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus „*. Haec autem spes facit, tribulationes patienter ferri; ad Romanos duodecimo: „*Spe gaudentes, in tribulatione patientes „*; et ratio huius, ad Romanos octavo, quod „non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in no-

bis. Nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat „.

Debent igitur viri spirituales *levare* ³⁹ *capita* per firmam expectationem; debent etiam *levare oculos* per claram considerationem, secundum illud Psalmi: „*Ad te levavi oculos meos „*, etc.; et Genesis decimo tertio: „*Leva oculos tuos in directum „*. „*Omnem terram, quam conspicias, tibi dabo „*, etc. Debent *levare vocem* per Scripturae praedicationem; Isaiae quinquagesimo secundo: „*Vox speculatorum tuorum, levaverunt vocem, simul laudabant „*, etc. Debent *levare manus* ad perfectam operationem; Psalmus: „*Sic benedicam te in vita mea et in nomine tuo levabo manus meas „*. Et hoc est quod maxime nos sursum erigit, propter quod primae ad Timotheum secundo: „*Volo, vos orare in omni loco, levantes puras manus sine omni ira et disceptatione „*.

Secundo quantum ad *similitudinem* ⁴⁰ *manductivam* subditur: *Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam et omnes arbores; cum producant iam ex se fructum, scitis, quoniam prope est aestas. Comparat autem arbores humano generi, et maxime ficulneam. Arboribus enim huiusmodi homo assimilatur et quantum ad ortum et quantum ad occasum et quantum ad fructum. Quantum ad ortum, propter quod in Psalmo: „Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum „, etc. Quantum ad occasum, propter quod Iob decimo quarto: „*Lignum habet spem; si praecisum fuerit, rursus virescit, et rami eius pollutant „*; sic et homo, cum moritur, spem habet resurgendi. Quantum ad *fructum*, quia, sicut arbor in fructuosa inciditur, sic et homo; unde Matthaei tertio: „*Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur „*, etc.; unde supra decimo tertio dicitur*

de ficu infructuosa: "Succede illam", etc. Sicut enim arbor secus viam non fructificat, sic et homo occupatus circa multa; Matthaei vigesimo primo: "Videns fici arborem secus viam, venit ad eam et nihil invenit in ea nisi folia tantum. Et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur". Unde Chrysostomus: "Sicut impossibile est, arborem secus viam fructus ad maturitatem servare; sic difficile est, hominem iuxta mundum viventem iuventutem immaculatam usque ad finem tenere". Sicut etiam arbores fructificant, abscedente hieme; sic homo fructum habet post tribulationem: Canticorum secundo: "Iam hiems transiit, imber abiit et recessit"; ficus protulit grossos suos, vineae florentes dederunt odorem suum. Hic fructus est per tolerantiam tribulationis secundum illud ad Hebraeos duodecimo: "Omnis disciplina in praesenti non est gaudii, sed moeroris, postea autem affert fructum pacatissimum exercitatis per eam".

41 Et hic fructus colligitur in aestate claritatis aeternae; propter quod subdit: *Ita et vos, cum videritis haec fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei*; Glossa: "Regnum Dei aestati comparat, quia tunc moeroris nostri nebula transibunt, et aeterni dies vitae sub claritate solis fulgebunt. In hac aestate cessabit *pluvia lacrymarum*; Isaiae vigesimo quinto: "Aufert Dominus Deus omnem lacrymam ab omni facie"; Psalmus: "Euntes ibant et flebant", etc. Cessabit *nubilum tribulationum*; Tobiae tertio: "Post tempestatem tranquillam facis et post lacrymationem et fletum exsultationem infundis", etc. Cessabit etiam *frigus cupiditatum*; unde Bernardus: "O vera merities, plenitudo fervoris et lucis, solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, foetorum depulsio! O perenne solstitium, quando iam non inclinabitur dies;

o lumen meridianum, o vernalis temperies, o aestiva venustas, o autumnalis ubertas! Et ne quid videar praeteriisse: O quies et feriatio hiemalis! aut certe, si hoc magis probas, sola tunc *hiems abiit et recessit!*"

Tertio quantum ad *assertionem certificativam* subiungit: *Amen dico vobis, quod non praeteribit generatio haec donec omnia fiant*; Glossa: "Quae dico vobis sub certitudine exspectate. Hanc autem *generationem* vocat generationem mortalem, secundum illud Ecclesiastae primo: "Generatio praeterit, et generatio adventit". Haec *praeterit*, quando transit ad immortalitatem per resurrectionem; Glossa: "De mortalitate ad immortalitatem". Et haec resurrectio non erit ante praedictorum consummationem, quia, Iob decimo quarto: "Homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur coelum".

Et ideo subdit: *Coelum et terra transibunt*, quantum ad *exteriorem figuram*; Psalm. "Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes", etc; et ideo primae ad Corinthios septimo: "Praeterit figura huius mundi". Unde Isaiae quinquagesimo primo: "Coeli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur"; et Isaiae sexagesimo quinto: "Ecce, ego creo coelos novos et terram novam". — Et ideo transeunt haec omnia sicut temporalia, sed e contra, *verba autem mea non transibunt*, quantum ad *interiorem sententiam*; Psalmus: "In aeternum, Domine, permanet verbum tuum". Unde Gregorius: "Omne, quod apud vos durabile et sine mutatione est, ad aeternitatem durabile non est; et omne, quod apud me transire cernitur, fixum et sine transitu tenetur". Unde Isaiae quadragesimo: "Exsiccata est foenum, et cecidit flos; verbum autem Domini nostri manet in

aeternum". Qui vult igitur aeternaliter manere, oportet, quod in transitoriis non moretur, sed potius deserendo transitoria per divina verba transeat ad aeterna.

44 Propter quod notandum, quod mundus iste transit quantum ad omne quod habet in se appetibile. Transit primo quoad *celitudinem*; Sapientiae quinto: "Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia", etc; Psalmus: "Vidi impium superexaltatum", etc. — Secundo quoad *pulchritudinem*; Psalmus: "Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat"; et Iacobi primo: "Glorietur frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua, quia sicut flos foeni transibit. Exortus est enim sol cum ardore et arefecit foenum". — Tertio quoad *dulcedinem*; primae Ioannis secundo: "Mundus transit et concupiscentia eius"; Proverbiorum quinto: "Favus distillans labia meretricis". — Ergo qui his transitoriis adhaeret triplicem facit transitum. Primus est *a culpa in culpam*; Sapientiae secundo: "Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra", etc. Secundus est *a culpa in poenam*; Sapientiae secundo: "Umbrac transitus est tempus nostrum"; et Iob septimo: "Dies mei velociter transierunt, quam a texente tela succiditur". Tertius est *a poena in poenam*; Iob vigesimo quarto: "Transibunt ab aquis nivium ad nimum calorem". — Qui autem transit a transitoris triplicem facit transitum. Primus est *a culpa ad poenitentiam*; et de hoc Actuum duodecimo: "Transientes primam et secundam custodiam venerunt ad portam ferream"; et hic designatus fuit in transitu *maris rubri*, Exodi decimo quarto. Secundus est *a poenitentia ad sapientiam*; Ecclesiastici vigesimo

quarto: "Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini"; et hic designatur in transitu *per desertum*, in quo filii Israel gustaverunt manna, Exodi decimo sexto. Tertius est *a sapientia ad vitam aeternam*; Psalmus: "Transivimus per ignem et aquam", etc.; et Ioannis decimo tertio: "Sciens, quia venit hora eius", etc.; et hic designatur in transitu *Lordanis*, quo ingressi sunt terram promissionis; Iosue quarto: "Festinavit populus ut transiret; cumque transissent omnes, transivit et arca Dei". — Qui hunc triplicem facit transitum, ille solus est Hebraeus et celebrat verum pascha; quia *pascha* nihil aliud est quam transitus.

Varia de Adventu, ex Benedicto XIV.

(INSTITUT. XI. 11-13.)

XI.

45 **F**VITATIS omnino criminibus singulos ad frequentem Sacramentorum usum, saltem diebus Dominicis in Adventu, S. Caroli exemplo, magnopere cohortamur: *Parochus autem*, (inquit) *cum ad eum frequentissimum Sacramentorum usum Parochiae suae Fideles cohortatur, ut Provinciali tertio Concilio sancivimus, tunc crebris monitis illud, quod Silvester Pontifex Maximus statuit, in consuetudinem revocare, student ut, qui saepius non communicant, singulis saltem Dominicis diebus in Quadragesima Corpus Domini sumant, ac praeter ea diebus Dominicis Adventus.*

XII. Sed pro animo recte, ac diligenter praeparando ad Christum Dominum, cum indicantur homines e coelo veniet, saepius mentem, ac cogitationem uniusquisque convertat, ut primum quoque ipsius in terras Adventum sedulo contempletur: *Vos circa ea* (ait S. Bernardus), *quae vere salutaria sunt, sedula cogitatione versamini, et diligenter pensate rationem Adventus huius; quaerentes nimirum quis sit, qui veniat, unde, quo, ad quid, quando, et qua. Nam qui venit, secundum Gabrielis testimonium Altissimi Filium (uti Sanctus Bernardus prosequitur): Venit utique de corde Dei Patris in utero Virginis Mariae, venit a summo coelo ad inferiores partes terrae. Deinde subdit: Apparuit inestimabilis dignatio, et pontus inexc-*

gibilis, quod in carcere huius horrorem tanta descendere dignata est celsitudo. In terras descendit, ut genus hominum a servitute daemoneis eriperet. Propter nos venit, mira quaerentis Dei dignatio, magna dignitas hominis sic quaerita. Et potissimum venit ad nos eo tempore quo maximis in calamitatibus versabamur: Vere sapienter disposuit Sapientia, ut, cum magis esset necessarium, tunc primo ferret auxilium, etc. nimirum plenitudo, et abundantia temporalium, oblivionem et inopiam fecerit aeternorum. Opportune enim tunc venit aeternitas, quando magis temporalitas praevaleret. Itaque: Via, per quam venit, diligenter requirenda, ut possimus, sicut dignum est, ei occurrere, etc. propterea dignum est, ut, si non valeret infirmus in occursum tanti Medici procedere longius, saltem conetur erigere caput, et obliquitate assurgere venienti etc. usque ad temelipsum occurrere Deo tuo, etc. usque ad cordis compunctionem, et oris confessionem occurrere; ut saltem ex casu servitutum miserae conscientiae, quoniam indignum est illuc auctoritatem puritatis intrare.

47 XIII. Postremo novendiales preces, quae ante diem Natalem Domini in Ecclesiis haberi solent, plurimum commendamus, ac Decretum, quod die 28 Novembris anni 1731 promulgavimus, iterum renovamus; et ne fores illae Ecclesiarum pateant ante signum Missae, quae in Templo Sancti Petri celebratur, sub poenis voluntate nostra statuendis iterum prohibemus. Insuper mandamus, ut vespere hora vigesima tertia diei Sacra mysteria publice exponantur, benedictio impertiatur, dimissoque populo ad horam diei vigesimam quartam fores Ecclesiae omnino claudantur.

FERIA QUARTA

Homilia S. Bernardi Abbatis.
DE ADVENTU DOM. SERMO 3.

48 **I**n Adventu Domini quem celebramus, si personam venientis intueor, non capio excellentiam maiestatis. Si attendo ad quos venerit, dignationis magnitudinem expavescō. Stupent certe angeli de novo, videntes infra se quem supra se semper adorant, manifeste iam ascendentes et descendentes ad Filium hominis. Si

considero propter quid venerit, amplexor quoad possum inaccessibilem latitudinem charitatis. Si modum cogito, exaltationem agnosco humanae conditionis. Venit siquidem universitatis Creator et Dominus, venit ad homines, venit propter homines, venit homo. Sed dies aliquis: Quomodo venisse dicitur qui semper ubique fuit? Erat quidem in mundo, et mundus per ipsum factus est, sed mundus eum non cognovit. Non ergo venit qui aberat, sed apparuit qui latebat. Unde et humanam, in qua agnosceretur, induit formam; qui nimirum in divina lucem habitat inaccessibilem. Nec sane inglorium maiestati apparere in propria similitudine sua, quam fecerat ab initio; nec indignum Deo, a quibus in substantia sua non poterat agnosci, in imagine exhiberi: ut qui fecerat hominem ad imaginem et similitudinem suam, ipse hominibus innotesceret factus homo.

Huius ergo Adventus tantae maiestatis, tantae humilitatis, tantae charitatis, tantae etiam glorificationis nostrae, ab universa Ecclesia semel in anno sollemniter memoria celebratur. Sed utinam ita semel ageretur ut semper! id quippe dignius. Quantae enim insaniae est ut, post tanti regis adventum, aliis quibuslibet negotiis homines velint, seu audeant, occupari; et non magis, omissis omnibus, soli eius cultui vacent, nec in eius praesentia cuiusquam meminerint ceterorum? Sed non omnium est quod ait Propheta: *Memoriam abundantiae suavitatis tuae cruciabunt* (PSAL. CXLIV, 7); siquidem nec omnes haec memoria pascit. Sane nemo quod non gustavit, sed neque quod tantum gustavit, eructat. Ructus quippe non nisi de plenitudine et satietate procedit. Propterea quorum saecularis est mens et vita, memoriam hanc etsi celebrant, non tam

eructant: sine devotione et affectione dies istos arida quadam consuetudine observantes. Denique, quod damnabilis est, ipsa quoque inestimabilis huius dignationis memoria datur in occasionem carnis, ut videas eos tanta sollicitudine diebus istis vestium gloriam, ciborum parare delicias, ac si haec et huiusmodi quaerat in Nativitate sua Christus, et ibi suscipiatur dignius, ubi haec accuratius exhibentur. Sed ipsum audi dicentem: *Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam* (PSAL. C, 5). Quid tanta ambitione vestes parans in Natale meum? Detestor ego superbiam, non amplexor. Quid tanta sollicitudine ciborum copias reponis in tempus illud? Damno ego carnis delicias, non accepto. Plane insatiabilis es corde, tanta parans et ex tam longo; nam corpori utique et pauciora sufficerent et quae possent opportunius inveniri. Celebrans ergo Adventum meum, labiis me honoras, sed cor tuum longe est a me. Non me colis, sed Deus tuus venter est, et gloria in confusione tibi. Infelix omnino qui voluptatem corporis, et saecularis colit gloriae vanitatem. Beatus autem populus cuius est Dominus Deus eius.

50 Fratres, nolite aemulari in malignantibus, neque zelaveritis facientes iniquitatem. Intelligite magis in novissima eorum, et compatimini eis ex animo, et orate pro eis qui praeoccupati sunt in delicto. Haec enim faciunt miseri, quia ignorantiam Dei habent. Nam si cognovissent, numquam Dominum gloriae tanta adversum se insaniam provocarent. Nos autem, dilectissimi, excusationem de ignorantia non habemus. Plane nosti eum quisquis hic es: et si dixeris quia non novi eum, eris similis saecularibus, mendax. Denique si eum non nosti, quis te huc adduxit,

aut quomodo huc venisti? Alioquin quando tibi persuaderi posset, charorum affectibus, corporis voluptatibus, saeculi vanitatibus sponte abrenunciare, et iactare cogitatum tuum in Domino, et omnem sollicitudinem in eum proficere, de quo nihil bene, immo tam male, conscientia teste, merueras? Quis tibi, inquam, persuadere id posset, si nescires quia bonus Dominus sperantibus in se, animae quaerenti ipsum; nisi cognovisses et tu, quia suavis est Dominus et mitis et multae misericordiae et verax? Haec autem unde nosti, nisi quia non solum ad te, sed etiam in te venit?

51 Triplicem enim eius adventum novimus; ad homines, in homines, contra homines. Ad omnes quidem indifferenter, non autem ita in omnes, aut contra omnes. Sed quia primus et tertius noti sunt, utpote manifesti; de secundo, qui spiritualis et occultus est, ipsum audi dicentem: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (IOANN. XIV, 23). Beatus apud quem mansionem facies, Domine Iesu. Beatus in quo Sapientia aedificat sibi domum, excidens columnas septem. Beata anima quae sedes est Sapientiae. Quanam est illa? Anima utique iusti. Merito plane, quia iustitia et iudicium praeformatio sedis tuae. Quis in vobis est, fratres, qui desiderat in anima sua sedem parare Christo? Ecce quanam illi serica, quae tapetia, quod pulvinar oporteat praeparari. *Iustitia, inquit, et iudicium praeformatio sedis tuae* (PSAL. LXXXVIII, 15). Iustitia virtus est quod suum est unicuique tribuens. Tribue ergo tribus quae sua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde aequali cuique quod debet; et digne celebraas Adventum Christi, parans ei in iustitia sedem suam. Redde, inquam, reverentiam

praelato et obedientiam; quarum altera cordis, altera corporis est. Nec enim sufficit exterius obtemperare maioribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Quod etsi tam manifeste innotuerit indigna praelati alicuius vita ut nihil omnino dissimulationis, nihil excusationis admittat, propter eum tamen a quo est omnis potestas, ipsum, quem modo talem novimus, excelsum reputare debemus, non praesentibus personae meritis, sed ordinationi divinae et dignitati ipsius officii deferentes.

54 Sic et fratribus nostris, inter quos vivimus, ipso iure fraternitatis et societatis humanae consilii sumus et auxilii debitores. Haec enim volumus ut et ipsi nobis impendant: consilium, quo erudiatur ignorantia nostra; auxilium, quo iuvetur infirmitas nostra. Sed forte erit inter vos qui tacitus respondeat, dicens: Quod ego consilium dabo fratri cui nec unum quidem dicere verbum fas est absque licentia? Quod ei auxilium impendere est, cum nec minimum aliquid agere liceat absque obedientia? Ad quod ego: Non deerit certe quod facias; tantummodo charitas fraterna non desit. Nullum ego consilium melius arbitror quam si exemplo tuo fratrem docere studeas, quae non oporteat fieri; provocans eum ad meliora, et consulens ei non verbo neque lingua, sed opere et veritate. An vero utilis aut efficacius auxilium aliquod est quam ut ores devote pro eo, ut non dissimules redarguere culpas eius, ut non modo nullum ei offendiculum ponas, sed et sollicitus sis, quantum praevaldes, tamquam angelus pacis, de regno Dei scandala tollere, et occasiones scandalorum penitus dimovere? Si talem te fratri auxiliarium et consiliarium exhibes, reddis ei quod debes, nec habet unde causetur.

Porro si cui forte praelatus es, huic 53 sine dubio teneris debitor sollicitudinis amplioris. Exigit a te et ipse custodiam et disciplinam. Custodiam quidem, ut possit cavere peccatum; disciplinam vero, ut quod minus cavet, minime maneat impunitum. Quod etsi nemini fratrum praesesse videris, habes tamen sub te cui custodiam hanc et disciplinam oporteat exhiberi. Dico autem corpus tuum, quod sine dubio regendum accepit spiritus tuus. Debes ei custodiam, ut non regnet in eo peccatum, nec membra tua arma fiant iniquitati. Debes et disciplinam, ut dignos faciat poenitentiae fructus, castigatum et subditiu servituti. Longe tamen graviore et periculosiori debito tenentur adstricti qui pro multis animabus redditori sunt rationem. Quid ego infelix! quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius iudicavit, contigerit negligentius custodire? Si stillantem in cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod et portari saepius oporteret; quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certe id servandum accepi pro quo mercator non insipiens, ipsa utique Sapientia, sanguinem illum dedit. Sed et habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, et quibus multo plura quam vitreis imminere pericula videantur. Accedit sane ad sollicitudinis cumulum et pondus timoris quod, cum et meam et proximam conscientiam servare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi nox est; nihilominus exigitur a me utriusque custodia et clamatur: *Custos, quid de nocte, custos quid de nocte?* (Is. XXI, 11). Non est mihi dicere cum Cain: *Numquid custos fratris mei sum ego?*

(GEN. IV, 9) sed est fateri humiliter cum Propheta quia, *nisi Dominus custodierit civitatem frustra vigilat qui custodit eam* (PSAL. CXXVI, 2). In eo tamen excusabilis ego videor, si, ut praedixi, debitam exhibeo custodiam pariter et disciplinam. Quod si priora quoque quatuor non defuerint, dico autem erga praelatos reverentiam et obedientiam, consilium et auxilium erga fratres, quod ad iustitiam pertinet, non imparatam sedem inveniet Sapientia.

54 Et fortassis haec videantur sex columnae, quas excidis in ipsa domo quam aedificavit sibi: et septima quoque quaerenda est, si forte et eam nobis notam facere ipsa dignetur. Quid vero prohibet sicut sex in iustitia, septimam quoque intelligi in iudicio? Neque enim iustitia sola, sed, *Iustitia*, inquit, *et iudicium praeparatio sedis tuae* (PSAL. LXXXVIII, 15). Denique si praelatis et aequalibus et inferioribus reddimus quod oportet, nihilne accipiet Deus? At ei plane quod debet retribuere nemo potest, quod tam copiose accumulaverit super nos misericordiam suam, quod tam multa deliquerimus ei, quod tam fragiles et nihil simus, quod tam plenus et sufficiens ille sibi et honorum omnium nostrorum non egens. Audivi tamen dicentem eum cui incerta et occulta sapientiae suae revelaverat, quia *honor regis iudicium diligit* (PSAL. LVIII, 4). Nihil quod in se est a nobis exigit amplius; tantum dicamus iniquitates nostras, et iustificabit nos gratis, ut gratia commendetur. Diligit enim animam quae in conspectu eius et sine intermissione considerat, et sine simulatione diiudicat semetipsam. Idque iudicium non nisi propter nos a nobis exigit: quia si nosmetipsos iudicaverimus, non utique iudicabimur. Propterea sapiens veteret omnia opera sua, scrutatur et

diiudicat universa. Honorat quippe veritatem qui et se et sua omnia in eo statu quo veritas habet, et agnoscit veraciter, et humiliter confitetur. Audi denique manifestus a te iudicium exigi post iustitiam. *Cum feceritis*, inquit, *omnia quae praecepta sunt vobis, dicite, Servi inutilis sumus* (LUC. XVII, 10). Haec plane, quoad hominem, est digna sedis praeparatio Domino maiestatis: ut et iustitiae mandata studeat observare, et semper indignum sese et inutilem arbitretur.

Varia de Adventu, ex Ruperto Abbate.

(DE DIVINIS OFFICIIS, III, 25.)

TEMPUS, quod Dominicae nativitatis memoriam 55 antecedit, ideo Adventus nuncupatur, quia totus eius Ecclesiasticus ordo iuxta contemplationem adventus Domini dispositus est. Advenerit autem Dominus recte dicitur, qui ubique est invisibili praesentia maiestatis, dum assumpto eo quod visibile est nostrum, visibilis carnis visibilem se ostendit. Quod tunc factum est, quando verbum, per quod omnia facta sunt, quod erat in mundo et mundus per ipsum factus est, sed mundus eum non cognovit, caro factum est, ut visibiliter habitaret in nobis: itemque futurum est, quando is, qui nunc a dextris Dei sedet, et licet nobiscum sit usque ad consummationem saeculi, non aliud assumendo, sed quod semel assumpsit nobis repraesentando, et sicut ipse dixit: *Videbimus filium hominis venientem in nubibus caeli, cum potestate magna et maiestate*. Illud igitur tempus, quod Dominicae nativitatis memoriam antecedit, ideo Adventus nuncupatur, quia haec, quae dicta sunt, partim praeterita, partim futura commemorantur.

FERIA QUINTA

Homilia S. Bernardi Abbatis.

DE ADVENTU DOMI. SERMO 4.

DIGNUM est, fratres, ut tota cum devotione Domini celebretis Adventum, delectati tanta consolatione, stupefacti tanta dignatione, inflammati tanta dilectione. Nec vero solum

cogitetis adventum quo venit quaerere et salvum facere quod perierat; sed et illum nihilominus quo venit et assumet nos ad seipsum. Utinam circa hos duos adventus iugi meditatione versemini, ruminantes in cordibus vestris quantum in priore praestiterit, quantum promiserit in secundo! Utinam certe dormiatis inter medios clericos! Haec sunt enim duo brachia sponsi, inter quae sponsa dormiens aiebat: *Laeva eius sub capite meo, et dextera eius amplexabitur me* (CANT. II, 6). Nam in sinistra quidem eius, sicut alibi legimus: *Divitiae et gloria; in dextera longiturnitas vitae* (PROV. III, 16). In sinistra eius, inquit, *divitiae et gloria*. Filii Adam, genus avarum et ambitiosum, audite. Quid vobis cum terrenis divitiis et gloria temporali, quae nec verae, nec vestrae sunt? Aurum et argentum nonne terra est rubra et alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam? Denique si vestra sunt haec, tollite ea vobiscum. Sed homo cum interierit, non sumet omnia; neque descendet cum eo gloria eius.

57 Verae ergo divitiae non opes sunt, sed virtutes; quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. De gloria quoque dicit Apostolus: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae* (II COR. I, 12). Haec est utique vera gloria, quae est a spiritu veritatis. *Ipsa enim spiritus testimonium perhibet spiritui nostro quod filii Dei sumus* (ROM. VII, 16). Gloria vero quam ab invicem accipiunt qui gloriam quae est a solo Deo non requirunt vana est; quoniam vani filii hominum. Insiapiens tu, qui merces congregas in saccum pertusum, qui thesaurum tuum alieno in ore constituis! Ignoras quod arca ista non claudatur, nec seras habet? Quanto melius sapiunt qui thesaurum suum ipsi servant, aliis non

committunt? Verum numquid semper servabunt? Numquid semper abscondent? Veniet cum manifesta erunt abscondita cordis: quae vero fuerint ostentata non comparebunt. Hinc est quod, veniente Domino, fatuarum virginum lampades extinguuntur; et qui receperunt mercedem suam a Domino nesciuntur. Propterea dico vobis, charissimi, utile est abscondere magis quam ostentare, si quid habemus boni: sicut et mendici, cum eleemosynam petunt, non pretiosas vestes ostendunt, sed seminuda membra, aut ulcera, si habuerint, ut citius ad misericordiam videntis animi inclinetur. Quam regulam publicanus ille servavit multo melius pharisaeo, et ideo descendit iustificatus ab illo (LUC. XVIII, 14), id est prae illo.

Tempus est, fratres, ut iudicium incipiat a domo Dei. Quis finis eorum qui non obediunt Evangelio? Quod iudicium his qui in hoc iudicio non resurgunt? Quicumque enim iudicari dissimulant eo iudicio quod nunc est, in quo princeps huius mundi efficitur foras, iudicem expectent, vel magis timeant, a quo cum ipso principe suo foras efficiuntur et ipsi. Nos autem si perfecte iudicamur nunc, securi Salvatorem exspectemus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae. Tunc fulgebunt iusti, ita ut videri possint docti pariter et indocti: fulgebunt enim sicut sol in regno Patris eorum. *Erit autem claritas solis septemplex*, (Is. xxx, 26), id est sicut lux septem dierum.

Adveniens enim Salvator reformabit 59 corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae; si tamen prius fuerit cor reformatum et configuratum humilitati cordis ipsius. Propter quod et dicebat: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*. (MATTH. XI, 29). Considera sane in his verbis quoniam humilitas

duplex est: altera cognitionis, altera affectionis, quae hic dicitur cordis. Priore cognoscimus quod nihil sumus; et hanc discimus a nobis ipsis et ab infirmitate propria: posteriore calcamus gloriam mundi; et hanc ab illo discimus qui *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens* (PHILIPP. II, 7); qui etiam quaesitus in regnum, fugit; quaesitus ad tanta probra et ignominiosum supplicium crucis, sponte obtulit semetipsum. Sint ergo, si dormire volumus *inter medios clericos*, id est duos adventus, *pennae nostrae deargentatae* (PSAL. LXVII, 14); ut illam scilicet virtutum formam teneamus quam verbo et exemplo commendavit Christus praesens in carne. In argento siquidem non incongrue intelligitur humanitas eius, sicut in auro divinitas.

60 Omnis itaque virtus nostra tam longe est a vera virtute quam longe est ab ea forma, et omnis penna nostra ad nihilum valet, si non fuerit deargentata. Magna quaedam penna est paupertatis, qua tam cito volatur in regnum caelorum. Nam in aliis virtutibus quae sequuntur, promissio futuro tempore indicatur; paupertati non tam promittitur quam datur: unde et praesenti tempore enuntiatum est, *quoniam ipsorum est regnum caelorum*; cum in ceteris dicitur, *haereditabunt, consolabuntur* (MATTH. V, 3, 9), et similia. Videmus autem pauperes aliquos, qui si veram haberent paupertatem, non adeo pusillanimes invenirentur et tristes, ut potere reges et reges coeli. Sed hi sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto ut nihil eis desit; et sic diligunt paupertatem ut nullam inopiam patiantur. Sunt et alii mites, sed quamdiu nihil dicitur, vel agitur nisi pro eorum arbitrio: patebit autem quam longe sint a vera mansuetudine, si levis oriatur occasio. Haec mansuetudo quomodo haereditabit quae ante haereditatem deficit? Alios

quoque lugentes video; sed si de corde procederent ille lacrymae, non tam facile illico solverentur in risum. Nunc autem, cum abundantius otiosa verba et scurrilia profluant quam prius lacrymae, lacrymas huiusmodi de his esse non arbitror quibus consolatio divina promittitur, quandoquidem post illas tam facile consolatio vilis admittitur. Alii tam vehementer contra aliorum delicta zelantur ut videri possent esurire et sitire iustitiam, si esset apud eos de suis quoque peccatis idem iudicium: sed nunc *pondus et pondus, utrumque abominatio est apud Deum* (PROV. XX, 23). Nam contra alios tam impudenter quam inaniter aestuant, seipsum tam insipienter quam inutiliter palpant.

Sunt alii misericordes de his quae ad 61 ipsos non pertinent; qui scandalizantur, si non datur omnibus abundanter, sic tamen ut ipsi ne in modico quidem graventur: qui si misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam; si non possent de terrena substantia, de voluntate bona darent his qui forte contra eos peccare viderentur indulgentiam; darent dulce signum, verbum bonum, quod est super datum optimum, ut eorum mentes ad poenitentiam provocarent. Denique et his et omnibus quos in peccato esse cognoscerent compassionem impenderent et orationem. Alioquin misericordia eorum nulla est, et misericordiam consequuntur nullam. Item sunt qui peccata sua sic confitentur ut videri possent ex desiderio mundandi cordis id agere (omnia enim in confessione lavantur), nisi quod ea quae ipsi sponte dicunt aliis ab aliis patienter audire non possunt: qui si vere mundari desiderarent, ut videntur, non irritarentur, sed haberent eis gratiam qui suas illis maculas demonstrarent. Sunt et alii qui si viderint quempiam vel le-